



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1866

Appendix Seu supplementum ad gloriam Sancti posthumam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

ACTORE
C. B.

APPENDIX

Seu supplementum ad gloriam Sancti posthumam.

§ I. Veneratio Sancto, Beatis jam adscripto atque ad ecclesiam S. Stephani translato, in Calabria exhibita, frequentiaque ad ejus invocationem miracula patrata, quorum aliquot, annum MDC prægressa, recensentur.

Postquam sacrum Brunonis, Beatis a Leone X Papa, uti in Commentario prævio § 47 docui, anno 1514 adscripti, corpus e Turritano, in qua jacebat reconditum, sanctissimæ Dei Genitricis ecclesia ad Turritanam itidem S. Stephani ecclesiam ipso dicto anno 1514 fuisse translatum, singularem, qua in sanctum Ordinis sui Institutorem ferebantur, venerationem Cartusiani universim omnes, ac nominatim Turritani magis ac magis non uno manifestavere indicio. Ac primo quidem, Turritanum S. Stephani monasterium, unice tunc, primævo S. Mariæ et S. Stephani nomine mutato, S. Stephani de Bosco seu de Nemore appellari solitum, sub cujus etiam tum, non secus ac hodie, nomine Turritano (adi Commentarium prævium num. 755) S. Mariæ ecclesia totumque ædificiorum, ad Turritanam eremum spectantium, complexum veniebat, non S. Stephani modo, ut Leo X Papa (adi Comment. prævium num. 755 et seq.) statuerat, sed, ad sancti illius martyris nomen nomine S. Brunonis adjuncto, S. Stephani et S. Brunonis domum in sancti Patris sui honorem deinceps appellavere, eundemque etiam in finem temporis lapsu Ordinis sui provinciam, quæ Turritanam cartusiam modo complectitur, quæque antea Provincia Lombardiæ Ulterioris nomine distinguebatur, S. Brunonis provinciam, quo nomine hodieque isthæc gaudet, nuncupavere, uti disco partim ex Morotio in Theatro chronologico pag. 226, partim ex Camilli Tutini Ordinis Cartusienis ad annum 1514 Prospectu.

2 Verum in facta monasterio suo a S. Brunone appellatione, quod parum sane fuisset, neutiquam sedit Cartusianorum, Turritanam eremum, sibi a Cisterciensibus Leonis X Papæ jussu tandem redditam, incolentium, eximia plane erga sanctum illum Patrem suum veneratio. Quod enim (vide recitata in Commentario prævio num. 776 verba) de sacro Brunonis capite faciendum, populo adstanti, dum pretiosa ejus lipsana transferrentur, dixerat Mathæus, cartusie Bononiensis Prior, executioni id illi mandandum curantes hermæ argenteo, affabre elaborato, sacrum Sancti caput, seu potius hujus, quæ penes ipsos adhuc mansit, partem includere. Nec contenti ita effecisse, ut pretiosum hoc pignus congrua debique reverentia custodiat, haud dudum etiam,

B Sanctus ad monasterii S. Stephani appellationem nominis sui adjectione

ac annus, qua caput ejus transferretur, sollemnitate institutione honoratur,

ut apparet, post annum 1514 institueret, ut quot annis, quo et apud populum incrementa caperet Sancti cultus, sacrum ejus caput, hermæ, ut dixi, argenteo jam inclusum, secundo Pentecostes festo e S. Stephani ecclesia, in qua servatur, ad ecclesiam S. Mariæ solemniter deferretur, postridique ex hac ad S. Stephani ecclesiam eodem modo reportaretur. Et vero felici successu haud caruit hujus sollemnitate institutio. Non solum enim ex hac multum increvit Sancti cultus; verum etiam subinde est factum, ut, qui ad illam venerant, infirmi, S. Brunonis implorato auxilio, pristinae sanitati fuerint restituti.

3 Ita testantur varii, qui, quæ Dominus ad manifestandam Servi sui gloriam operari tunc dignatus est, miracula in litteras misere. Aliquot ex hisce simulque nonnulla alia, quæ aliis etiam temporibus ad S. Brunonis invocationem ante annum 1600 fuere patrata, lubet præsentibus §, servato, quo contigere, ordine chronico, recensere. Ne hunc adeo perturbem, abs illis, quæ extra præfatæ sollemnitate facta sunt, duco initium. Surianus in suis ad S. Brunonis Vitam, a Surio scriptam, Annotationibus pag. 519 sic scribit: Anno MXXXIII prima die Februarii V. P. Jacobus Aragonensis, professus cartusie Neapolitanæ ac Prior cartusie S. Stephani supra dicti, et cæteri monachi conventuales scriperunt capitulo generali Ordinis Cartusienis sequentia miracula, quæ tunc recens post receptam domum (Calabrinam nempe S. Stephani) acciderunt: Istis diebus nostris nobilis Alphonsus Toraldus Neapolitanus, frater germanus excellentis domini Adami Toraldi, baronis de Badulato, valde erga S. Brunonem pie affectus, cum esset Tropeæ, quæ est urbs Calabriae maritima, animi causa deambulans juxta mare super quandam declivem rupem altitudinis fere centum cubitorum, accidit, ut, fallente pede, in præceps, capite inverso, laberetur. Qui cadens ruinosam maceriem manibus apprehendere, ne in ima corrueret, tentavit; sed ipsa eadem super eum delapsa est; unde et in eo discrimine positus S. Brunonem adiutorem invocavit, et mox aspectu monachum, vestibus albis aspectuque decorum, manum suam dextram tenentem et ad ima loca sè leniter deducentem.

4 Quo factum est, ut nullam ex eo casu passus sit læsionem, cum tamen ejus comites, qui ad cadentem accurrerant, extinctum eum aut corpore contractum ex lapsu existimarent. Igitur pedester domum est regressus, ne vehiculo quidem aut aliena opera indigens ad iter; quod beneficium maximum meritis S. Brunonis acceptum tulit. Accidit id circa annum MXXXII. Camillus Tutinus idem etiam miraculum in concinnato a se Ordinis Cartusienis Prospectu recenset; verum id, non ad annum circiter, uti hic Surianus, 1592, sed ad annum 1518 refert. At vero, etsi id ita sit, duo isti scriptores sese inter pugnare censendi propterea non sunt, cum Surianus miraculum illud, non districte anno 1592 innectat, sed anno circiter 1592, quæ loquendi formula trium quatuorve annorum extensionem patitur, accidisse, dumtaxat scribat. Ut sit, miraculum illud præcessisse videtur tria alia, quæ ex Jacobi Arragonii reliquorumque religiosorum Cartusie S. Stephani incolarum relatione in præfatis suis ad Vitam S. Brunonis Annotationibus narrare pergit Surianus. Primum sic habet: Domna Laura Carrafa, filia ducis Niverniæ, comitissa Arenarum, cum pregnans esset,

D miraculisque inclarescens, lapsus e loco declivi

E

servat incolentem, infirmæ sanitatem restituit,

F

in

A in gravissimam incurrit valetudinem, quæ cum in extremis ageret, vir ejus D. Franciscus, comes Arenarum, qui semper S. Brunonem pie coluerat, votum fecit, oblatum se ad illius altare calicem argenteum; et tunc, sicut comes ipse et comitissa testati sunt, sanata est ab illa gravi infirmitate, et tempore opportuno enixa est infantem, cui nomen S. Brunonis in baptismo imposuerunt. Et ne immemor umquam esset accepti beneficii mater, vovit vestes albas induere, qualibus indutus fuisse visus ipse S. Pater, qui in somnis ei apparuerat.

demone ex
energumena
expellit,

5 Secundum his verbis concipitur: ANNO MDXXII quidam ex oppido Zimbario Squillacensis diocesis, quatuor fere passuum millibus a monasterio (S. Stephani nimirum) dissito, nomine Gareus Scopacasa, cum uxore sua Isabella adduxerunt ad januam monasterii unicum filiam suam, habentem spiritum immundum, cumque ad eam allatæ fuissent reliquæ sanctorum Stephani et aliorum Divorum, ut dæmon ab ea eijceretur, sicut alias factum fuerat, et nulla spes egressionis appareret, V. P. Vicarius P. de Corduba consilium parentibus puellæ dedit, ut ad specum S. Brunonis, quæ milliario a monasterio abest, eam ducerent. Quo cum pervenissent, ter flexis genibus puella devote orantes circumierunt. Dein puella post osculum pedibus imaginis S. Brunonis impressum hausit aliquantum pulveris ex eadem specu. Mirabile dictu, post sumptum pulverem spiritus infestus cæpit per viscera puellæ discurrere, ac inde immigrans in brachium ad manum tandem devenit; et, ut indicium excessus sui relinqueret, in summitate digiti unius tumore facto, latius apertis poris non sine sanguine exitum sibi providit et penitus abscessit. Tam malo hospite liberata puella cum parentibus ad monasterium regressa est, ubi Deo et S. Brunoni, liberatori suo, gratias immensas retulit. *En modo etiam postremum e tribus supra dictis miraculis. Sequentibus hisce apud Surianum pag. 525 verbis exponitur:* Per eadem tempora (annum scilicet 1325, quo trium dictorum miraculorum certius redditum fuit generale Ordinis Cartusienensis capitulum, haud multum prægressa) in oppido Pizzone diocesis Melitensis, sexto lapide a monasterio (Turritano S. Stephani nimirum) dissito, sacerdos quidam

C e gremio cleri secularis nomine Sophranus Miriano, habens apostema in pectore circa vitales partes, votum nuncupavit S. Brunoni. Qui, continuo sanus effectus, sicut ipse scripto testatus est, facem cereæ * virginæ misit ad altare S. P. Brunonis, in qua curationis et sospitatis series legebatur. *Subdit modo hic Surianus alia miracula, S. Brunonis meritis patrata, quæ quemadmodum ait, exscripta sunt ex schedis Mss. D. Nicolai Riccii de Taberna, professi ejusdem (S. Stephani) domus, accuratiusque, adjectis etiam aliis nonnullis, a V. P. Severo a Neapoli fuere digesta.*

sui visione
oblata patrem
S. Ludovici
Bertrandi, ut
maneat in sa-
culo, monet,

6 Verum cum primum ex his anno demum 1524 accidisse notetur, citiusque fortassis, quam hic melaturum, in Commentario prævio num. 746 sponendi, S. Brunonis et S. Vincentii Ferrerii apparitio, Aloysio Bertrano seu Bertrando S. Ludovici Bertrandi patri, divinitus oblata, evenerit, lubet hanc, antequam ullum ex iis recenseam, lectori hic, ne ab ordine chronico deflectam, exhibere. A Suriano itaque pag. 518 et seq. hunc narratur in modum: Isdem (pater scilicet S. Lu-

dovici Bertrandi) alia vice, defuncta prima sua uxore, pergebat ad eandem domum (Cartusianam nempe) Portæ-cæli, quæ Valentia (Hispaniæ scilicet Tarraconensis civitate, in qua commorabatur) quatuor leucis abest, religiosum habitum petiturus, atque in itinere iidem SS. Vincentius et Bruno se videndos præbuerunt, dicentes, voluntatem Dei non esse, ut religiosus fieret, sed ut ad seculum rediret. Qui ex secunda postea ducta uxore Joanna Angela anno MDXXVI sustulit B. Ludovicum Bertranum Ordinis Prædicatorum, qui, sanctitate et miraculis clarus, ad cælum abiit anno MDLXXXI. Ita loco citato Surianus, ibidem etiam addens, relationem istam a P. Joanne Madariaga part. 1 Vitæ S. Brunonis cap. 22, § 5 e S. Ludovici Bertrandi Vita, per fratrem Justinianum Antist eavata, fuisse descriptam; quod sane, cum in hac relatio eadem reperiatur, veritati puto esse consonum. Ad miracula modo, quæ ex Nicolai Riccii schedis Mss. deprompsit accuratiusque, teste ex dictis Suriano, digessit aliisque nonnullis auxit Severus a Neapoli, progredior.

7 Primum e Suriani recensione sic habet: Anno Domini MDXXIV, cum esset Prior hujus (S. Stephani) domus V. P. David de Charcascolis Mediolanensis, professus cartusie Papiensis, excellens dominus Joannes Baptista Carrafa de Neapoli, comes tunc Agrotariæ ac dominus Castri-veteris necnon et Rocellæ, infirmatus est usque ad mortem, omnique medicorum auxilio destitutus cum ageret in extremis, nocte quadam per visum objectus est ipsi S. Bruno dicens: Joannes Baptista, si restituere distuleris territorium, per tuos injuste occupatum, domui meæ S. Stephani de Nemore, morte morieris et non vives. At ille, simili voce respondens, ait: Quod territorium Pater? Territorium, intulit, quod vos de Ninfo dicitis, concessum mihi et successoribus meis a comite Rogerio Normanno, et, his dictis, evanuit. Statuit præfatus comes intra se de hoc certius aliquid cognoscere, ac omnia reddere. Mirum dictu! vix hoc apud animam suam constituerat, cum melius habere cæpit et febris prorsus omnique vitæ discrimine exemptus est. Dein accersitis notario et testibus visionem retulit, ac territorium, multis jam annis occupatum, restituit, ac quam plurima alia beneficia a S. P. Brunone obtinuit, quæ

AGTORE
C. B.

restituere,
quod ad Tur-
ritanam car-
tusiam spe-
ctabat, sta-
tuentem sa-
nat,

E

F latius in instrumento restitutionis continentur. Hoc confectum est Neapoli xviii Novembr. MDXXIX (error hic cubat, estque annus, quo restitutionem illam factam, infra num. 15 invenies, 1529 substituendus) per notarium Virgilium de Buluito de Neapoli inter V. P. D. Octavianum de Mantua, Priorem tunc domus S. Stephani ac visitatorem provinciæ, et præfatum comitem, qui, ut in eo scribitur, bonam fidem cognoscens et attendens devotionem maximam, quam se gerere dixit erga monasterium S. Stephani et propter reverentiam, quam habet S. Brunoni, cujus sanctæ reliquæ in monasterio prædicto venerabiliter sunt repositæ, cujus merito et intercessionibus continuo existit adjutus, et præsertim in obtinenda a Domino prole, atque pro animæ suæ et prædecessorum suorum salute, certioratus prius et plene informatus de jurisdictione monasterii etc. sponte, et bona, pura et libera voluntate relaxavit prædictum territorium de Ninfo, ac per fustem resignavit V. patri Priori etc. Cujus capta fuit corporalis possessio xxix Januarii anno MDXXX a præfato Octaviano Priore, præsentem

AUCTORE
C. B.
ac Cathari-
nam Thoma-
siam, adhuc
juvenem, gra-
vissimo peri-
culo eripit,

præsente cum aliis monachis D. Stephano de Suriano professo ejusdem domus.

8 *Tale est primum, quod e Mss. Nicolai Riccii de Taberna schedis, a Severo de Neapoli accuratius digestis atque aliunde auctis, Surianus loco supra citato refert; huic autem sequens proxime subiungit: Circa annum MXXI, cum B. Catharina Thomasia Majoricensis, postea canonica Regularis Ordinis S. Augustini in monasterio S. Mariæ Magdalenaë urbis Majoricarum, ætatis esset annorum circiter quinque, et cum avo suo iter haberet in loco declivi juxta Cartusiam Majoricarum, apparuit ei monachus quidam in veste alba, quæ Cartusiensium est propria, qui S. Bruno fuisse creditur, quique ei prædixit, eam Christi sponsam futuram, et non, ut avus optabat, matrimonio copulandam. Alia similiter vice, antequam decimum ætatis annum attingeret, cum antrum quoddam introgressa in foveam lapsa esset, unde sine humano auxilio exire non poterat; eo deficiente, divinum imploravit, quod continuo adfuit: nam adstitit ei humana specie vir augustior in veste candida, qui ejus sententia Cartusiensis videbatur. Sed S. P. Bruno, qui alias ei eodem schemate apparuerat, fuerit oportet; qui et eam consolatus, ne timeret, admonuit, atque ut baculum, quem manu tenebat, apprehenderet ac firmiter teneret; quo apprehenso, facilis ei fuit ascensus e fovea, moxque ab ejus oculis subtractus est. Hoc duplicis apparitionis prodigium, quod an Brunoni vere attribuendum sit, dubitari possidetur, non ex Nicolai Riccii schedis, sed aliunde hausisse videtur Severus a Neapoli. Ita opinari me facit Surianus, cum ad illius calcem notet, esse id depromptum e Catharinæ Thomasiæ, quæ inter Prætermisssos ad 3 Aprilis diem relata apud nos est. Vita, Hispanico idiomate a V. P. Bartholomæo Valperga, Cartusiæ Majoricensis monacho, conscripta, annoque 1617 Majoricæ typis excusa.*

injurie sibi
illata Deum
habet vindic-
tam,

9 *En modo alterius generis miraculum, nimirum, non quo cuiquam Sanctus beneficium contulit, sed quo, qui in eum fuerat injurius, divinitus fuit punitus. Id Surianus jam nunc narrato proxime subnectit itaque exponit: Anno Domini MXXIV, v Octobris pridie illius diei, qui S. P. Brunoni sacer est, vir quidam nobilis et clarus genere, sed a callidissimo hæretico Martino Bucero misere seductus, in cartusia Coloniensi sub tempus, quo Vespertinae preces horariae aguntur, sedebat in hypocausto, ubi hospites excipi solent, parum quid edens et bibens cum religioso P. Petro Boechem, tunc procuratore ejusdem cartusiæ, postea Priore Confluentino, a quo cum audisset, die sequenti S. Brunonis celebrandum festum solemne, non sine stomacho respondit: Putatis vos, illum in Divorum numerum relatum? Certe, si ille Sanctus est, nunquam post haustum hoc poculum contingat prospera me uti valetudine. Dixit, bibit, moxque tanquam aliud agens cœpit sedere cogitabundus, ut solent phantastici. Paulo post equum conscendens ad castrum suum abiit. Nec mora: in lectum decidens, paucis post diebus ita, ut sibi ipse erat imprecatus, ex morbo periit, vel invitus approbans S. Brunonis sanctitatem. Prodigium istud, seu divinam de irrogata Servo suo injuria vindictam etiam refert in Sacario Agrippino pag. 214 Erardus Winheimius; verum tam hic, quam Surianus, quod nomen fuerit*

viro nobili, qui ob prolata in S. Brunonem verba D injuria misere interit, non edicit, ita verosimilime ambo, ut nobilissimæ ac notissimæ hodieque familiæ, e qua is ortus fuit, honori parcerent, faciendum rati. Et sane laudando omnino consilio ita fecere; quare et ego eorum exemplo a proferendo viri illius nobilis nomine hic abstinere, licet interim id e Cartusiæ Livanæ antiquo, probatæque fidei monumento opprime compertum habeam.

10 *E miraculis, annum 1600 prægressis, quæ e Mss. Nicolai Riccii de Taberna schedis, a Severo a Neapoli aliunde auctis, apud Surianum referuntur, hicque in medium adducenda sunt, alterum modo recenscamus. Cum... monasterium S. Stephani (adi Surianum in suis ad S. Brunonis Vitam, a Surio conscriptam, Annotationibus pag. 551 et seqq.) in amplio rem formam redigeretur anno Domini MXXII, Priore existente D. Petro Paulo Lumbulo de Cajeta, professo domus Neapolis, cuius vita mansuetudine, pietate ac religione plena fuit, refectorii pars superna opere testudineo fabrefacta, quam Italici incolæ Lamiam vocant, valde profecto nitida, multoque sumptu constructa, jam sibi coherens ac constans videbatur, ut, humore desiccato, fulera lignea, quæ lapides, cœmento compactos, sustinebant, subdoci atque amoveri possent, opus illud aliquanto citius, quam oportuit, aggressi demoliri cœmentarii subito horribilem fragorem audiunt ex fatiscente testudine. Accidit vero, ut quidam, nomine Bonellus, operis magister ac alii ejusdem artis illi assistentes, cum in tam presenti discrimine versarentur ac periclitarentur, omnes una voce clamare cœperint: Sancte Bruno, fer opem nobis. Quo dicto, vident quemdam monachi specie, vultu venerabilem, qui eorum manus apprehendens, eos in aliam partem extra refectorium transtulit, et continuo testudo fatiscens collapsa est. Unde B. Brunonis meritis incolentes evadentes Deo beatoque Patri gratias ingentes retulerunt. Egrege enim vero, quam potens sit in cælis S. Brunonis patrocinium, e postremo hoc miraculo elucet; ne autem de ejus veritate quis ambigat, apud Surianum mox subiungitur: Hoc miraculum eo anno MXXII contigisse, præter Joannem Madariagam, id asserentem ex testificatione jurata V. P. Sylvii Prioris lib. 1, cap. xxii, confirmat etiam pictura ejusdem refectorii, quæ opus (quod scilicet post collapsam anno 1555 prioris structuræ testudinem fuerat resumtum) indicat consummatum anno MXXIV et etiamnum adhuc ibidem memoria viget a majoribus accepta.*

operariis, in
præsensissimo
periculo con-
stitutis, suc-
currit,

E

F

11 *Nec minus, quanti apud Deum meriti sit S. Bruno, aliud, quod nunc etiam subdo, probat miraculum. Hic apud Surianum pag. 555 et seqq. concipitur verbis: Eodem fere tempore scilicet ante annum MXXVII quidam domnus Stephanus Carozza ex oppido Suriano diocesis Melitensis sex fere passuum millibus a monasterio (S. Stephani videlicet) ex primis professis domus hujus an. MXXV, propter varia crimina (verba sunt cartæ capituli generalis anni MXXV in dispositione provincie et hujus domus) in magnum scandalum Ordinis ab eo perpetrata et propter frequentes ejus apostasias, tanquam incorrigibilis, ab Ordine expulsus et alienus denuntiatus est. Qui deinde vixit in eodem oppido more sæcularium clericorum pluribus annis, ac tandem in maximum laterum dolorem et febrim incidit; unde et ad extrema deductus*

sacerdoti, Or-
dinis sui olim
alumno, fe-
licem vitam
exiit,

A deductus omnique prorsus destitutus auxilio elata voce clamare cepit : Sancte pater Bruno, adjuva me. Conspiciebatur torvis oculis ac tristi facie multos motus per cubile facere, et nihilominus semper magnis vocibus iterabat : Sancte pater Bruno, adjuva me, nec alia verba in ore habens magis magisque cruciabatur. Hæc animadversens frater ejus Jacobus Carozza cum cæteris domesticis, commiseratione moti, Priorem monasterii adierunt, qui, his auditis, mox P. Franciscum Micelottam de Biungio, professum et procuratorem hujus domus, destinavit cum plena sua potestate et facultate eum Ordini reconciliandi et illius habitu induendi. Perrexit ille, atque intrans domum more recepto dixit : Pax huic domui etc. Statimque infirmus, qui velut exanimis jacebat, exclamavit : Induc me, pater, nam mori nequeo, nisi prius in gratiam receptus, habitum quoque, quem dimisi, recepero. Hoc mihi donum a Deo obtinuit pater sanctissimus Bruno. Qui simul ac habitu fuit indutus, melius habere cepit, et eidem patri peccata confessus sacratissimum Sacramentum Eucharistiæ humiliter petiit et accepit. Deinde

B cum magna cordis contritione sacro oleo est perunctus, et sic munitus diem clausit extremum, atque ad monasterium corpus ejus delatum in communi cæmeterio tumulatum fuit. Hoc autem circa annum MDLVIII contigisse oportuit; nam anno MDLIX Fr. Micelota institutus est per capitulum Prior domus Trisulti, et obiit MDLX.

terra de Ninfo, quam, Turritana Cartusiarum ab avo suo restitutam, invaserat,

12 *Miraculum istud, seu beneficium, a S. Brunone sacerdoti, Ordinis sui olim alumno, impensum, ex Ordinis Cartusienensis capituli carta, uti relationis jam data initio, indicatur, primitus haustum esse, Surianus etiam, qui id ex auctis per Severum a Neapoli Nicolai Riccii schedis accepit, ad calcem subjungit, ac deinde, aliis nonnullis, quæ brevitatis causa omitto, interpositis, pag. 534 sequens, quod, in Fabricio Carrafa, cum terram de Ninfo, ab avo suo Joanne Baptista Carrafa (adi num. 7) Cartusiarum S. Stephani restitutam, iterum occupasset, patratum, in eandem schedas e Turritana S. Stephani cartusiarum tabulario fuit illatum, subnectit: Anno, inquit, MDLXXXVI mense Octob. dominus Fabricius Carrafa, marchio Castri-veteris, Hieronymi F. ac Jo. Baptistæ Carrafæ nepos, cum majorum suorum contumacia in eo propagaretur in occupando atque indebite retinendo territorio sæpe dicto de Ninfo, et a Priore illius temporis V. P. Petro Bono de Agrottaria in jus vocatus pro restitutione contemneret, in febriem incidit acutissimam, adeo ut a medicis de illius vita conclamaretur, familiares religiosissimam matrem adhuc superstitem, in proximo oppido commorantem, accersierunt ad luctuosum sui nati funus delendum. At illa ex infortuniis, quæ prædecessoribus suis ob prædicti territorii usurpationem evenerunt, edocta nuntiis respondit: Ego veniam et curabo eum, Deo dante, et S. Brunone suffragante. Illico ad filium pergens, jam morti proximum sic allocuta est: Merito hæc pateris, quia territorium de Ninfo S. Brunonis injuste occupas, et nunc audi sermonem meum, accersi Priorem S. Stephani dictumque locum ei restitue, et statim liberaberis, sciesque, quia manus Domini super te est, alligens et eruens te.*

restitutionem spondenti liberationem a febre, atque multis aliis,

C 15 Statim ille matris monitis obtemperavit, ac coram multis adstantibus se ita facturum protestatus est. Misericors autem Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et

vivat, statim febre imperavit ac recessit, atque incolumis effectus, quod sponderat, opere adimplevit, publico confecto instrumento xviii Octob. MDLXXXVI, Indict. xv per manus Consalvi Ermogida de terra Spatulæ, in quo sanitatem miraculose se recepisse confitetur his verbis: Pro summa devotione prædicti S. Brunonis et per merita et beneficia recepta et diversimode habita, et quæ a prædicto S. Brunone habere sperat, et indes habet, et præsertim in presenti sua magna infirmitate etc., et confirmavit cessionem Jo. Baptistæ sui avi xviii Novembr. anni MDLXXXIX, ut (vide num. 7) supra. Eodem die etiam litteras dedit ad conventum, commendans se ejus precibus. *Venio nunc tandem ad miracula, e jam sæpe laudatis schedis hausta, atque in annua, quæ e Turritana S. Stephani ecclesia ad Turritanam itidem S. Mariæ ecclesiam sacrum Brunonis caput deferri ex supra dictis modo solet, solemnitate ad ejus invocationem patrata. Surianus pag. 536 sic scribit: Anno MDLXXXIX convenientibus juxta morem ex castris, oppidisque circumpositis quamplurimis sacerdotibus et promiscui sexus turbis cum solemnibus supplicatione, quæ e monasterio S. Stephani Feria secunda post Pentecosten conventualiter a monachis deferretur simulachrum argenteum umbilico tenus, in quo asservatur caput S. P. N. Brunonis, et digitus integer S. Stephani protomartyris, in manu itidem argentea reconditus, qui ab Urbano II, instante comite Rogerio, huic domui (Calabrinæ nimirum S. Stephani) donatus fuisse perhibetur, ad ecclesiam B. Mariæ, milliario hinc distantem, juxta quam olim fuit eremus, a S. Brunone constructa, multi ex diversis languoribus Dei Genitricis auxilio et S. Brunonis meritis curati sunt, quos propriis oculis multi ex nostris viderunt; erant enim ibi monachi et conversi num. xxv.*

14 Ibidem vidisses alios supplicabundos opem B. Virginis, alios S. P. N. Brunonis nomen inclamantes; nec frustra: sanabantur enim a quacumque detinebantur infirmitate. Adfuit tum inter eos mulier quædam ex vicino oppido, Pizzone dicto, muta, quæ decem et octo annos elocuta verbum non fuerat, et mox in illa præfata ecclesia clamare cepit: Misericordia; tuncque loquendi liberum usum recepit. In cujus accepti beneficii memoriam habitum Ordinis B. Virginis, ac nominatum binis hic memoratis, insignia beneficia a Deo obtinet.

F quædam mulier ex oppido Suriano ad præfata ecclesiam accessit, quæ, duodecim annos habens in infirmitate sua, omnem fere substantiam frustra in medicos erogarat. Hæc coram omnibus flexis genibus orans clamare cepit: Serve Dei S. Bruno, jam confessa sum, jam sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscepi, si expedit salutem animæ meæ, impetra mihi sanitatem; sin autem, felicem obitum; læta enim moriar, si hoc mihi contigerit in hac ecclesia. Mirabile dictum! Continuo defuncta est, et quasi ridens ab omnibus conspiciebatur, atque in eadem ecclesia sepulturæ tradita est. *Talia sunt duo, quæ præsentibus recensenda adhuc erant, seu miracula seu beneficia. Verum erit fortassis non nemo, qui, an primum ex his S. Brunonis patrocinio patratum fuerit, revocet in dubium, quod mulier muta, in cujus favorem obtigit, invocasse illum non legatur. Attamen, cum hæc album sanctimonialium Cartusianarum more habitum in accepti beneficii memoriam deinceps gestarit, acceptum*

ACCITORE
C. B.

AUCTORE
C. B.

acceptum id Brunoni retulisse, itaque sese hunc invocasse confessa videtur; quod cum ita sit, partem equidem in illo seu miraculo seu beneficio, nisi forte, quod tamen non puto, sanctissimæ Dei Genitrici adscribendum potius totum id sit, habuisse Sanctum, admittendum apparet. Ad ea modo, quæ § sequenti expedire statui, progrediamur.

§ II. Aliquot miracula, sæculo XVII, ante annum tamen hujus XXIV, patrata, recensentur, et qui tandem Sancti cultus ad universam Ecclesiam extensus, festumque ejus tunc Coloniae Agrippinæ celebratum fuerit, exponitur.

B
Energumēnus, pulvere ex antro, cui a S. Brunone nomen,

Non pauca pulvere abraso e lapide specus seu antri, in quo, ut nonnulli ex dictis in Commentario prævio § 43 volunt, continuo S. Bruno post suum in Turritanam eremum recessum habitavit, reque etiam vera subinde (ad eundem Commentarium prævium num. 748) commemoratus fuisse videtur, in ægrotantium languidorumque favorem patrari miracula, Surianus in suis ad Brunonis Vitam, a Surio contextam, Annotationibus et Nicolao Riccio de Taberna supra laudato præfatus, sequens seu miraculum seu beneficium, quod pulvere illo adhibito, patratum fuit, e recensione Severi a Neapoli, qui id, ut præmittit, e Basilio Cartusie Turritanæ fratre converso, reique gestæ oculato teste audivit, pag. 561 in medium adducit hisce ipsis Severi verbis: Frater Blasius de Pace ex eadem Serra oppido vicino ad milliari, monasterii (S. Stephani de Nemore) conversus, professus ejusdem, Deo permittente, a maligno spiritu obsessus misere vexabatur. Cui V. Prior prædictus (Ludovicus Suespeckh nimium) summa, qua præditus erat, caritate compatiens, cupiens ovem suam ab invasione infernalis lupi eripere, sciens etiam, genus quoddam dæmoniorum non nisi oratione et jejuniis ejici, tribus diebus pane et aqua dumtaxat victitavit, atque, aliis negotiis intermissis, solum orationi vacans permansit. Post tertium diem, accuratori generali peccatorum confessione præmissa, in sacrarii altari, in quo in fabrefacto loculamento, ebano argentoque permixto varie cælato, asservantur caput S. P. Brunonis in argenteo simulachro, et aliæ Sanctorum reliquiæ, Missam quoad devotius potuit, celebravit, præsentem fratre Blasio arreptitio et prædicto fratre Basilio.

adhibito, liber evadit,

16 Post Missam ventum est ad exorcismos, et cum dæmon egredi cunctaretur, recordatus est P. Prior lapidis specus S. Brunonis, ac statim mandavit F. Basilio, ut, conscenso equo, quantocumque lapidis pulverem, e specu sumptum, ad se perferret. Qui jussa complens, cum, accepto inde pulvere, domum rediret, in medio itinere derepente ventum validum contra se irruentem sensit. Quo violenter ex equo excussus in terram male acceptus decidit. Eodem momento dæmon, in cachinnum solutus per os arreptitii in hæc verba prorupit Calabrorum

dialecto: At come buono conzato se ne terra! D quæ Latine sonant: At quam bene acceptus redit. Ita mihi præcise referente eodem fratre Basilio; equo sine sessore recta ad monasterium redeunte, homines ad prostratum, ut existimarent, nec e terra adhuc surgere valentem, excurrerunt, domumque reduxerunt. A quo accepto pulvere atque contra dæmonium adhibito, illud exire ab homine coegit, ac statim liberatus ad obitum usque incolumis permansit. Obiit vero postea 4 Aug. MDCCXXV. Cum Ludovicus Suespeckh, qui, dum Turritanæ S. Stephani et S. Brunonis Cartusie Prior esset, dæmonium, pulvere ex lapide antri S. Brunonis adhibito, e fratre Blasio energumeno, uti hic narratur, cepulit, Prior primum, quemadmodum apud Surianum loco cit. Severus a Neapoli docet, anno 1608 fuerit creatus, annoque 1611 obierit, oportet, ut tempore, inter utrumque hunc annum medio, prodigium istud acciderit; quare cum forte etiam annum 1609 præcesserit, visum est id hic præmittere aliis adhuc recensendis miraculis, quæ vel hoc ipso anno vel serius evenere.

17 En adeo nunc unum, quod anno 1609 accidit, quodque, licet non pulvere, e Brunoniani antri lapide accepto, Sancti tamen patrocinio fuit patratum. Hisce exstat apud Surianum pag. 565 et seq. verbis expressum: Sub eodem P. Priore (monasterii S. Stephani Ludovico Suespeckh) anno MDCCX, cum ad monasterium vectaretur magnus lapis, e vicina lapidicina excisus, quadratus, octo vel amplius palmos habens undique in longitudine, et unum fere cum dimidio diametrale, usui futurum pro tabula summi altaris ecclesie, tanti ponderis, ut a pluribus boum jugis supra lignea machina ægre advehi potuerit, et multus ad visendum populus accederet, quidam David Muller Brandenburgensis, in lapide et ligno egregius sculptor, qui suæ artis admiratione digna multa emblemata ex lignorum segmentis coagmentatis versicoloribus effecit in hoc monasterio, quique præfatæ machinæ structor et præfectus operis aderat, cum medio itinere flexo poplite currum adaptare vellet, ac subtus aspiceret, altera ex rotis tibiam illius adeo valide pressit, ut in terra, penitus humo cedente ponderi, absconderetur, ipso David clamante, S. Bruno, opem fer mihi; cumque plurimi commiserationis ergo accurissent, tibiam ejus comminutam existimantes, inventa est aliquantulum in nervis læsa, quæ etiam paulo post perfecte curata est. In eodem loco præfatus sculptor ædiculam seu parvulam capellam, in colle sitam, suis sumptibus erigendam ad rei futuram memoriam curavit, quæ adhuc exstat. Duobus hisce jam relatis atque apud Surianum exstantibus miraculis aliud modo subjungo, typis hactenus, quod sciam, non subjectum, quod in S. Brunonis imagine Cavallione, seu, ut ab aliis scribitur, Cavallione, episcopali Vindascini in Provincia ad Sedem Apostolicam spectantis comitatus civitate, anno 1610 patratum est, quodque cum Majoribus nostris e magna Cartusia anno 1668, uti, quam ei adscripserunt, notitia me docet, fuit communitatum.

aliisque aliud, invocato Sancto, insigne beneficium consequitur.

E

18 Sequentibus hisce verbis describitur: Anno Domini MDCCX, mense Augusto, Alexander Maurissius, civis Cavallionensis, visa tabella quadam in choro PP. Capucinatorum Cavallionensium, in qua recenter a patre Bernardino effigies sancti Ludovici, episcopi Tholosani ejusdem Ordinis S. Francis

Imago, in qua Sancto alienus habitus, proprio deleta, fuerat apictus.

A (*S. Francisci Assisiensis nimirum; neque enim sac. xiii, quo S. Ludovicus Tholosanus floruit, Capuccini adhuc inveniebantur*) professi, deformata fuerat, illius elegantia supra modum delectatus et captus, accessit ad patrem Fabianum de Sault sibi familiarem, instantissimeque petiit et ab eo obtinuit, ut imagunculam sancti Brunonis hic appensam, quam pro sua in eum antiqua devotione asservabat, superductis coloribus opera dicti patris Bernardini in similem sancti Ludovici representationem delinearet; huic igitur operi xx ejusdem mensis primam admovent manum P. Bernardinus et imaginis fundum indico pro more oblinere aggreditur. Verum cum opus ob exiguitatem displiceret, superveniens cuidam pictori, nomine l'Empereur, tradit penicillum, rogatque, ut illud jam bene inchoatum adinstar imaginis sancti Ludovici absolvat, acquiescit pictor et imaginis fundum atque ipsum in cruce pendente Salvatorem subjectamque calvariam atra fuligine oleo subacta inficit, candidam sancti Brunonis vestem in leucophaeam demutat, capitium producit, manicas substringit, pro cuculla cannabinam plagulam assuit, totam denique imaginem, demptis Pontificiis insignibus, pedo scilicet ac mitra, sanctique Brunonis capite, in aliam transfiguratur. Porro, advesperascente multum jam die, sic affectam tabellam recedens P. Bernardino relinquit; qui sequenti die, mane facto, alieni operis curiosus explorator, dum imaginem propius intuetur, haeret attonitus, et inusitato successu percussus, vix oculis suis credit, nullus penicilli ductus, nullum coloris, nullum indici vestigium, pura omnia et veluti spongia detera existunt, sola sandaracha, velut in perpetuum rei gestae monumentum, sed integris prioribus lineamentis, remanserat, sicque sanctus Bruno, rejecto ascitio schemate et colore, in veste nativa candidus apparebat. Ergo inter pavorem et gaudium dubius pater Bernardinus ad patrem Andream d'Arles cœnobii Guardianum accurrit, rem omnem communicat, sigillatim exponit, imaginem exhibet.

priori statui
miraculose
restituta in-
venitur.

B 49 Certatim omnes e domo Patres, audita rei novitate, adsunt, sciscitantur, audiunt, imaginem explorant, et una voce, ingens id esse miraculum, exclamant. Adest quoque Josephus l'Empereur pictor, promissi memor, pensum absoluturus, sed a patre Bernardino, quod acciderat, miraculum edoctus, prohibetur ultra manum operi (quando id inauspicato cesserat) adhibere, aut ullam deinceps alicujus Sancti effigiem in alterius commutare aggredi. His igitur omnibus visis et auditis, non sine rubore et metu dominus Maurissius imaginem, sibi restitutam, summa cum veneratione recipit, eandemque tandem, a multis visam et religiose spectatam, D. Dionysio Saily, Priori cartusiae Bonipassus, dono dedit. Extat de ea re authenticum instrumentum, a reverendo officiali et vicario Generali reverendissimi episcopi Cavallicensis, Alexandro Maurissio, Josepho l'Empereur et Joanne Baptista Gemifrem notario et scriba Curiae spiritualis Cavallicensis subscriptum et sigillo episcopali munitum, quod una cum praedicta imagine, supra exhibita, Cartusiam ab eodem D. Dionysio transmissum in tabularii domus integrum asservatur. *Majores nostri, qui, quemadmodum supra jam indicavi, sese e Cartusia Majori conceptam hisce verbis miraculi, in S. Brunonis imagine patrati, relate Octobris Tomus III.*

tionem accepisse, in margine adscriperunt, notula apposita etiam monent, sese et illam Sancti imaginem, et ipsum instrumentum authenticum, cujus sub finem jam datae relationis mentio fit, in sacello, S. Brunoni in Cartusia Majori sacro, vidisse, cum ibi anno 1662 versarentur. Porro imaginis illius exemplar ad Majores nostros una cum miraculi relatione missum fuisse, e verbis, quibus haec initio et sine concipitur, apparet; verum ego id, quod alioquin ari incisum lectori hic exhiberem, inter sepositas de S. Brunone notitias invenire haud quivi. Unum modo adhuc, quod miraculis, a Sancto factis, apud Surianum accensetur, quodque annum 1624 praecessit, studioso lectori, antequam ad alia, ad gloriam Sancti posthumam spectantia, sermonem convertam, hic exhibeo.

20 His verbis exponitur: Anno MDCXXIII, cum esset Prior D. Joannes Manduci de Seminaria oppido diocesis Melitensis, qui sacella SS. Stephani et Brunonis, sita in transversa parte ecclesiae sub tholo, marmoribus versicoloribus Roma magno sumptu advectis exornanda curavit, coaptandorum marmorum causa venit etiam huc inde quidam Gaspar marmorarius, qui, humani generis hoste suggerente, et carnis fomite titillante, quadam die cum alio ejusdem artis socio, dicto Michaele Siculo, intra ecclesiam S. Mariae (*De Turri nempe*) solus cum eo de certa muliere ad inhonestam sollicitanda verba miscebat prope parvam januam ad dextrum latus dicte ecclesiae, tuncque repente audiunt, quatuor validis ictibus pulsari gradus, tunc ligneos, dein vero lapideos factos, quibus ab exteriori parte ecclesiae ascenditur ad chorum super atrium ecclesiae constructum. Ad quem strepitum exteritus Gapar egressus est foras per eam lateralem januam, ac clare conspexit terga monachi nostro habitu induti vicinum nemus petentis ac penetrantis. Ex cujus aspectu majore timore est percussus, cum probe sciret, monachos nostros nec illa die et hora illic adesse, nec unquam solos eo advenire solere; unde nec vane opinatus est, S. Brunonem fuisse, cui cordi semper fuit, et est honestas ac sanctitudo Dei domum decens. Dein timore compunctus rem totam aperuit D. Mathiae Nucifero professo, et tunc monasterii Sacristae: quo referente, haec in Acta relata sunt. Eodem anno illa mulier interfecta est a cognatis, et Gaspar de nocte, tempore carnisprivii, ad proximam villam divertens graviter est in capite vulneratus, sed brevi convaluit. S. P. N. Brunoni se commendans: qui et me haec scribentem, ut Missam ad illius altare et honorem offerrem, exoravit; quod libenter, nesciens rem occultam esse, praestiti.

21 Cum haec, quae apud Surianum pag. 563 et binis seqq. Severus a Neapoli hic narrat, anno 1625 accidisse, ipsa prodat data hujus relatio, eodemque etiam anno Sancti nostri cultum propagari contigerit, chronologicus, quem sequi statui, ordo exigit, ut de re hac modo hic tractem. Publica S. Brunonis veneratio ab anno 1514, quo fuerat is explicato in Commentario praevio § 47 ritu in Beatorum numerum relatus, apud solos fere Carthusianos locum habuerat, cum tandem, his agentibus, Gregorius XV Papa concessit, ut S. Brunonis festum Missali et Breviario Romano inscribi Officiumque de eo semiduplex die sexta Octobris, in quam illud incidit, ab omnibus ubique fidelibus, qui ad Horas canonicas tenentur, libere ac licite recitari possit. Breve Apostolicum, quo id fecit, Benedictus XIV Papa e Cartusia Majori,

AUCTORE
C. E.

Irreverens in
ecclesiam ter-
rore incusso
alioque modo
punitur.

E

F

Gregorius XV
Papa per Bre-
ve, quod hic

ACTORE
C. B.

uti ipsemet docet, accepit, atque in contexti a se de Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione Operis librum primum intulit; hisce autem ibidem cap. 41 num. 7 verbis concipitur: Gregorius Papa XV ad perpetuam rei memoriam. Domini nostri Jesu Christi, qui servos suos aeternae gloriae premio donat in caelis, vices, quamquam immeriti, gerentes in terris, ex adjuncto nobis pastoralis officii debito procurare tenemus, ut eorundem servorum Christi debita veneratio indies magis promoveatur, et laudetur Dominus in Sanctis suis. Quam ob rem fidelium quorumlibet, praesertim vero sub suavi religionis jugo Altissimo famulantium, votis, quae peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum et venerationem respiciunt, libenter annuimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

recitatur, ritu
semiduplici
Sanctum co-
lendi

22 Supplicationibus itaque dilecti filii D. Bernardi Gazii, Ordinis Cartusienensis procuratoris generalis, Nobis humiliter porrectis inclinati de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus praepositorum consilio, quod de caetero perpetuis futuris temporibus festum S. Brunonis, ejusdem Ordinis fundatoris, die vi Octobris, qua in caelum evolavit, in Missali, et Breviario Romano reponi, Officiumque de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari libere et licite possit et valeat, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, caeterisque ecclesiarum praelatis, in universo terrarum orbe constitutis, praecipimus et mandamus, ut in suis quibusque ecclesiis, provinciis, et diocesis praesentes nostras literas solemniter publicari, et ab omnibus ecclesiasticis personis secularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus omnino observari faciant, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensa. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die xvii Februarii mdcxxiii Pontificatus nostri anno tertio. S. Cardinalis sanctae Susannae. Ita est, Silvester Spada, illustrissimi et reverendissimi domini Cardinalis vicarii notarius. Locus ✠ sigilli.

impertitam
antea vicia
voce facultatem,
plenariamque
omnibus,

25 Apostolico huic Brevis jam praeverat sacrae Congregationis rituum indultum, quo idem, quod per istud hic conceditur, anno 1622 jam fuerat concessum. Exstat id pariter apud Benedictum XIV loco proxime citato, sicque habet: Supplicationi, a domino Bernardo Gazio, Ordinis Cartusienensis procuratore generali, sacrae rituum Congregationi porrectae, eadem Congregatio communi illustrissimorum R. P. assensu inclinata, habita etiam Sanctissimi Domini nostri confirmatione, festum sancti Brunonis, ejusdem Ordinis fundatoris, die vi Octobris, qua in caelum evolavit, in Missali ac Breviario Romano reponi, et Officium de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus recitari concessit. Illi enim inter Sanctos praecipue universalem Ecclesiae venerationem expostulare videntur, qui sacrarum Familiarum institutores militanti eidem Ecclesiae numquam interitura suffragia reliquerunt. Sign. Franciscus Maria, Cardinalis a Monte. Locus ✠ Sigilli.

Joannes Baptista Rinuccinus secretarius. Hoc D instrumentum, quod, qui illud cum Benedicto XIV. Papa de mandato reverendi patris Ordinis Cartusienensis Generalis, communicavit, Ambrosius Crollet, hujus scriba, xix Novembris anni 1622 datum notat, Cartusianis petentibus a sacra rituum Congregatione fuit indultum, ipsomet annuente, ut recitata, quibus id constat, verba fidem faciunt, summo Pontifice Gregorio XV; ut proinde hic illud ipsum, quod anno 1625 per Breve, num. 21 et seq. recitatur, Cartusianis postulantibus concessit, vix vocis oraculo antea impertisse videatur. Nec tantum hic Pontifex, ut S. Bruno per universam Ecclesiam cultu publico officii posset, indulsit; verum etiam, quo reipsa, etiam ab iis, qui ad Horas canonicas non tenentur, veneratione congrua honoraretur, indulgentiam plenariam omnibus, qui luce ipsi sacra Cartusianorum ecclesiam visitarent, exigique pro lucrandis plenariis indulgentiis solitas preces ibidem effunderent, propensissime concessit. Exstantes apud Surianum litteras Apostolicas, quibus id fecit, lubet etiam hic transcribere.

24 Sequentibus itaque apud hunc Vitae S. Brunonis, per Surium concinnatae, commentatorem verbis concipiuntur: Gregorius Papa XV ad perpetuam rei memoriam. Splendor paternae gloriae, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementissima ejus majestate sperantium, tunc praecipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus et meritis adjuvatur. Volentes igitur, omnes et singulas ecclesias monasteriorum monachorum Cartusianorum ubicumque existentium aliquo spiritali munere illustrare, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, omnibus utriusque sextus Christi fidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex dictis ecclesiis die festo sancti Brunonis, sexto mensis Octobris celebrari solito, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresium extirpatione ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae, in dignitate ecclesiastica constitutae, munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensa. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die iii Julii anno mdcxxiii, Pontificatus nostri anno tertio.

25 Surianus, Pontificia hac, qua quamlibet anno 1625 concessit, antequam sequenti, edicto, luce S. Brunoni sacra frequentantibus indulgentia plenaria a Gregorio XV fuit concessa, pag. 266 et seq. recitata Bulla, mox subjungit: Hac autem Bulla, velut classico personante, varii variarum regionum excitati populi, certatim quisque pro sua in sanctum Brunonem religiose observantia, exaggeratum cultum (eodem nempe S. Brunoni) impenderunt, ac deinde narrat, quanta solemnitate ac pompa Sancti festum Coloniae Agrippinae nominatim, Leodii et Lirae in Brabantia celebratum tum fuerit. Ut brevitati studeam,

E
lucē Brunonē
sacra Cartu-
sianorum ec-
clesias visi-
tantibus, in-
dulgentiam

F

A *studeam, qui id in priori e tribus hisce civitatibus, quæ Sancto natalis obtigit, factum fuerit, e laudato Sancti Vitæ, per Surium scriptæ, commentatore lectorem edocere dumtaxat lubet. Ac primo quidem, antequam verba, quibus is scriptor rem exponit, huc transcribam, de anno, quo solemnitas ista Colonia Agrippinæ acciderit, nonnulla dicenda sunt, ne quis forte illam, quod litteris Apostolicis, mox recitatis annoque 1625 datis, proxime a Suriano subdatur, hoc etiam anno, quod ex dicendis secus habet, evenisse arbitretur. Solemnitati itaque, quæ, cum Pontificia, quam proxime memoravi, Bulla data fuisset, Colonia Agrippinæ S. Brunonis festum celebratum fuit, prævit edictum, quo Ferdinandus princeps elector et archiepiscopus Coloniensis omnes archidiocesis suæ clericos, ut instans S. Brunonis festum congrua debitaque devotione celebrarent, vehementer hortatus est, nonnullaque eo spectantia præscripsit. Lubet et Monumentum illud, quod inter sepositas a Majoribus nostris de S. Brunone notitias inventi, integrum huc transcribere, tum ne quid, notatu dignum, quod ad gloriam Sancti posthumam facit, præteream, tum quod ex eo, solemnitatem, de qua hic nobis sermo, Colonia Agrippinæ, non anno 1625, sed anno 1624, celebratam fuisse, intelligatur, quemadmodum mox, cum id recitatio, ostendam.*

quod in me-
dium

26 *His verbis concipitur*: Ferdinandus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ electus et confirmatus archiepiscopus, S. Rom. Imp. per Italiam archicancellarius, et princeps elector, episcopus Paderbornensis, Leodiensis, et Monasteriensis, administrator Hildesheimensis, Corbejensis et Berchtesgadensis, princeps Stabulensis, comes Palatinus Rheni, utriusque Bavarie, Westphaliæ, Angariæ, Bullionis dux, marchio Francimontensis, comes Lossensis, Longiensi, Hornensis, S. Sedis Apostolicæ legatus natus, etc. Venerabili clero et universis, ac singulis Christi fidelibus civitatis et archidiocesis nostræ Coloniensis salutem in Domino sempiternam. Cum Deus Opt. Max. Pater ille misericordiarum pro paterna sua providentia et infinita erga nos caritate suos quibusque locis et temporibus Sanctos varie disperdit, ut nobis in caliginoso isto mundo inter tot dogmatum ac morum errores facem præferant, ac in viam salutis æternæ quasi manu ducant, tum vero jugiter hanc nostram Coloniensem ecclesiam oculis suæ benignissimæ misericordiæ respexit, et cæteris orbis terrarum regionibus ac provinciis eminentiorem reddidit, dum clementissime voluit et concessit, ut plurimorum maximorumque Sanctorum parens, alitrix, domicilium et custos esset; quorum nimirum meritis et suffragiis, postquam fidem suscepit, recidiva non fuit, sed in fide stabilis, estque et audit Romanæ Ecclesiæ fidelis filia, aliæque, quæ inde velut e perenni omnium bonorum fonte scaturiunt et derivantur, consequitur. Inter quos sane velut stella matutina refulget sanctus Bruno, magnum Ecclesiæ Dei decus et ornamentum, civis Coloniensis, Colonia nobili Hartenfaust familia natus et educatus, anno partæ salutis post millesimum centesimum primo mortuus; post millesimum quingentesimo decimo quarto a Leone X inter Sanctos relatus, celebrari juxta et sanctissimi Ordinis Cartusiensis (cujus laus est in Ecclesia) fundator et patriarcha. Porro nuper nobis exhibitæ et intimatæ fuerunt litteræ Sanctissimi Domini nostri Gregorii felicis

recordationis Papæ XV super celebratione festi altermemorati S. Brunonis hujusmodi sub tenore.

27 *Hic modo Gregorii XV Papæ, qui anno 1625 die 8 Julii, ac proin, antequam hoc Coloniensis archiepiscopi edictum emitteretur, vita functus est, recitatur Breve, num. 21 et 22 datum, ac deinde pergitur hoc modo*: Nos itaque tum pro ea obedientia, quam debemus S. Sedi Apostolicæ, tum pro religioso nostro affectu et veneratione erga Sanctos Dei, eos præsertim, qui nos et ecclesiam nostram propius contingunt, tenore præsentium auctoritate Apostolica nobis commissa, nec non de consilio et consensu Venerabilis nostri Capituli vobis supradictis litteras Apostolicas notificamus, et pro illarum executione clericos tam seculares quam Regulares enixe in Domino requirimus et monemus, ut diem istum solemniter debita et exemplari cum devotione juxta tenorem supra positi Brevis Apostolici celebrent, aliisque Christi fidelibus suo exemplo præcant, ecclesiarum vero rectoribus, pastoribus, et divini Verbi concionatoribus districte serioque præcipimus et mandamus, ut in festo S. Michaelis, quod incidit in Dominicam xvii post Trinit., xxix Septemb. Christi fidei populo alta et intelligibili voce publicent, et eundem, exposita Sancti vita, diligenter adhortentur, quatenus festum ejus pie ac religiose obeant, haud dubia spe, quod Sanctus iste origine et educatione noster pio in patriam affectu nos gregemque nobis commissum suis apud divinam Majestatem precibus et suffragiis, hisce periculosissimis exulceratissimisque locis ac temporibus, tueri porro et conservare perget: id quod sane eo magis nobis necessarium, quo graviora ab hæresi et a bello circumstant pericula. Quo vero Christi fideles ad debitam venerationem ac devotionem promptius obeundam magis excitentur, significamus præterea et attestamus supra memoratum SS. D. N. Gregorium Papam XV aliis specialibus litteris (perpetuis futuris temporibus valituris) omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis ac sacra communione relictis, qui ecclesiam Cartusianorum die festo S. Brunonis, vi mensis Octobris celebrari solito, a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum exstirpatione, ac Sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et Remissionem misericorditer in Domino concessisse.

28 *Quod quidem nos ita declaramus, ut fideles feminei sexus (quibus aditus intra septa monasterii et limina ecclesiæ præclusus est) ante ipsum monasterium sive ecclesiam foris orando easdem indulgentias lucrari possint, et valeant. Cum anno illo, quo Ferdinandus, Coloniensis archiepiscopus, isthoc edictum emisit, Dominica post SS. Trinitatis festum septima decima in vigesimam nonam, uti ipsum illud instrumentum manifestat, Septembris diem inciderit, hocque non anno 1625, sed, ut computanti patebit, anno 1624, quo Pascha die 7 Aprilis ac proin sanctissimæ Trinitatis festum die secunda Junii celebratum fuit, evenerit, edictum illud posteriori hoc anno, quo etiam apud Petrum Cholinum Colonia Agrippinæ eccusum ad calcem notatur, editum fuisse, necesse est. Jam vero, cum id Coloniensi, de qua hic disserimus, solemnitati, ut jam dictum, præverit,*

AUCTORE
C. B.

hic profertur,
prævie emis-
so,

E

F

AUCTOR
C. B.

præberit, consequens est, ut nec hæc ante annum 1624 contigerit; quin autem hoc ipso anno evenerit, dubitandum non apparet, cum equidem haud dudum a præfato edicto locum habuerit, quemadmodum ex ipsis, quibus hoc concipitur, verbis fas est conjicere. Verba modo, quibus ea a Suriano describitur, huc transferamus. *Sequentia hæc sunt: Festum (S. Brunonis nimirum) tota civitas (Coloniensis nempe) solemniter, jucundantiumque in morem celebravit et encœniavit. Totus senatus in cartusia secundum faciem Sanctorum lætum diem egit, tam in choro, quam in trichoro. Universus clerus et omnes omnino aliorum Ordinum Religiosi contesserunt. Et ne sequior sexus se doleret et quereretur exclusum, ante portam pegma et spectanda magnitudinis ara fuit erecta. Quo in loco confortissimæ mulieres Missam et Communionem, concionemque avidis animis exceperunt.*

hic describitur, solemnitate Sancti festum fuit celebratum.

B

29 Phonascorum quoque non defuit in Vesperis utriusque et Missa gratissimus concentus. Processum est subinde per peristylum majus cum ea gravitate pompæque, quæ Sanctos deceret; pone sequente senatu P. Q. Col. in ipso flagrante die festo Missam cantavit baro et canonicus ecclesiam metropolitana, diaconum egit comes et canonicus, subdiaconum canonicus presbyter. In octavis (nam per totas Octavas confluxus populi non defuit) vicarius serenissimi principis Missam quoque cecinit, cui canonici duo subservierunt, et phonasci tam in Missa, quam in utrisque Vesperis suum officium egregie sane impleverunt. Ut verbo absolvam, ex quo stetit illa Cartusia, nihil illi solemnitati comparabile, nihil æquale vidit. Totius tandem solemnitatis coronidem adjecit ipse serenissimus princeps elector et archiepiscopus, qui post Octavas proxima Dominica cartusiam visitavit, S. Eucharistiam percepit, hospitatusque ea nocte est in pastophorio. *Coloniensis archiepiscopus Ferdinandus hic memoratus Guillelmi V Bavariæ ducis ex Renata Lotharinga exstitit filius, anno 1377 natus, qui, cum patruo suo Ernesto, Coloniensi archiepiscopo, anno 1393 datus fuisset coadjutor, et etiam, anno 1612 vita functo, in Coloniensem successit archiepiscopatum, quem ad annum usque, quo obiit, 1630 optime administravit. Porro verbis proxime recitatis subdit mox Surianus, qui Leodii ac deinde qui Liræ, postquam, ut Sanctus sexto Octobris die per universam Ecclesiam ritu semiduplici colitur, a Gregorio XV Papa anno 1625 fuisset concessum, festiva ejus lux solemniter, a primaria etiam notæ viris, qui Cartusiani Ordinis non essent, fuerit celebrata. Verum cum a verbis, quibus tum peractum in binis hisce civitatibus solemnitatem scriptor ille exponit, recensendis abstinere, brevitate studio, ut jam monui, sit firum, ad alia, quæ ad gloriam Sancti posthumam adhuc spectant, gradum modo facio.*

C

§ III. Fueritne Sanctus anno MDCXXIII a Gregorio XV, an serius dumtaxat a Clemente X canonizatus, examinatur, reliquaque, quæ ad gloriam ejus posthumam faciunt, magisque videntur notatu digna, in medium proferruntur.

Apostolicis litteris, § præcedenti recitatis, quibus, ut S. Brunonis festum die 6 Octobris, qua ad caelos is migravit, Missali et Breviario Romano inscribi, Officiumque de eo semiduplex ab omnibus ubique fidelibus libere ac licite recitari possit, Gregorius XV Papa anno 1625 concessit, æquipollenter canonizatum Sanctum non fuisse, Benedictus XIV Papa in suo, quod Commentarii prævi loco non uno laudavi, de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione Opere existimat; ita enim in hoc, lib. 1, cap. 41, num. 6 scribit: Nullo certe pacto dici posse videtur (adi, quæ huc facientia Commentarii prævi § 47 disputata sunt) sanctus Bruno a Leone X canonizatus; sed ejus æquipollens canonizatio, eximii tanti Viri meritis, præclarissimi Ordinis foundationi, continuatæ insignium miraculorum famæ, cultusque concessionis, primum quidem universo Carthusianorum Ordini a Leone X factæ, postea toti Ecclesiæ ad libitum a Gregorio XV, innixa, assignanda videtur summo Pontifici Clementi X, ut ex sequenti decreto colligitur: « Enixis precibus, Sanctissimo Domino nostro Clementi X porrectis per Eminentissimum dominum Cardinalem Nitardum nomine serenissimæ Hispaniarum reginæ, quibus Sanctitati suæ supplicabatur, ut dignaretur concedere, quod Officium sancti Brunonis confessoris, fundatoris Ordinis Carthusiensis, hactenus ab Ecclesia universali sub ritu semiduplici recitatum » (supple ad libitum) « in posterum sub duplici recitaretur ab omnibus utriusque sexus tam secularibus, quam Regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, et remissis a Sanctitate sua ad sacrorum rituum Congregationem, eadem ad relationem Eminentissimi domini Cardinalis Sfortiæ censuit, prædictam gratiam concedi posse, si eidem Sanctissimo Domino nostro visum fuerit, die III Martii MDCLXXIV. Et facta de prædictis Sanctissimo relatione per me secretarium, Sanctitas sua benigne annuit die XIV ejusdem mensis Martii, et anni MDCLXXIV. »

51 Ita Benedictus XIV Papa laudatus, S. Brunonem a Clemente X, ac proin non præfatis Apostolicis Gregorii XV litteris, canonizatum fuisse, non obscure docens; ita autem opinatus est, quod, quemadmodum inserta sacrorum rituum Congregationis decreto, quod hic recitat, parenthesi satis indicat, litteris illis cultus præceptum non includatur. Verum Ambrosius Crollet, reverendissimi patris Generalis capitulique Ordinis Cartusiensis scriba, qui easdem litteras, mandante eodem Reverendissimo Patre, cum Benedicto XIV communicavit, aliter prorsus censuit.

Iisdem

Fuisse Sanctum æquipollenter canonizatum

E

F

a Clemente X, Benedictus XIV existimavit. Verum hæc ejus opinio

A *Isdem enim apud eundem Benedictum Operis laudati lib. 1, cap. 41, num. 7 sequentia verba præmittit: Anno mdcxxiii supra memoratus Gregorius Papa præcepit, ut die vi Octobris omnes sæculares et regulares ubique terrarum sub semiduplici ritu recitent Officium sancti Brunonis confessoris, fundatoris nostri, nec non in Brevariario, Missali et Calendariis in posterum imprimendis festum ejusdem sancti Brunonis describendum statuit; e quibus sane manifestum fit, laudatum Ambrosium Crollet in ea opinione fuisse, quæ supra recitatas Gregorii XV Papæ litteras cultus ecclesiastici præceptum includere, existimavit. Verum utri assentientum est? Huic Ordinis Cartusienis alumno, an Benedicto XIV? Etsi Gregorius XV Papa, sese, ut S. Bruno ab omnibus ubique fidelibus, ad Horas canonicas obligatis, ritus semiduplicis Officio die sexta Octobris coli licite possit, impertiri, in memoratis litteris primo dumtaxat dicit, mox tamen adhibens verba, præceptum sonantia, subjungit, sese patriarchis, archiepiscopis, episcopis ceterisque ecclesiarum prælatis, in universo terrarum orbe constitutis, præcipere et mandare, ut ab omnibus*

B *ecclesiasticis personis sæcularibus et quorumvis Ordinum Regularibus observari faciant litteras prædictas; hinc autem factum forte est, ut hisce omnes fideles, qui ad Horas canonicas tenentur, ad Officium de S. Brunone die sexta Octobris, quæ is obiit, ritu semiduplici recitandum obstringere voluisse Gregorium, Crolletus existimavit.*

pro certa admittenda non videtur.

C *52 Forsan etiam, ni, ut illi facerent, Gregorius præcepisse statuatur, haud satis intellexerit, quæ ratione factum esse queat, ut Urbanus VIII Papa, proximus Gregorii XV in S. Petri Cathedrali successor, Officium de S. Brunone, novo, quo hunc coli præceperit, decreto non emisso, Brevariario Romano (adi Commentarium prævium num. 188 et 195) jusserit inscribi. Res sane, ut meam modo promam sententiam, admodum videtur implexa. Et vero cum sacræ rituum Congregationis decretum, Benedicti XIV Papæ verbis, num. 50 huc transcriptis, inclusum, quo hæc, ut Officium de S. Brunone, quod hactenus ab Ecclesia universali sub ritu semiduplici recitatum dumtaxat fuerat, sub duplici deinceps recitaretur, anno 1674, summo Pontifice Clemente X annuente, concessit, nullum prorsus, quod cultus, S. Brunoni deferendi, præceptum aperte sonet, verbum includat, fueritne magis a Clemente X, quam a Gregorio XV Sancti cultus præceptus, in dubium revocari non immerito posse videtur. Quod cum ita sit, cultusque præceptum ad canonizationem necessario requiratur, S. Brunonem canonizationem, canonizationem scilicet, uti eam vocant, æquipolenti, a Clemente X potius, quam a Gregorio XV fuisse, pro certo asseverare non ausim. Neque vero id a Clemente factum fuisse, pro prorsus indubitato habuit ipsemet Benedictus XIV; etenim (adi ejus verba num. 50 recitata) canonizationem S. Brunonis Clementi X non affirmate assignat, sed, adhibita, quæ dubitantium esse solet, loquendi formula, Pontifici huic illam assignandam videri, dumtaxat ait. Verum, etsi res ita sit, dubiumque simul, an Sanctus seu a Clemente seu a Gregorio, ac proin an unquam (neque enim Pontifex, Clemente posterior, coli Brunonem præcepisse invenitur) canonizatus vere fuerit, ex omnibus jam dictis queat videri, fuit equidem, ut Officium de eo, quod dumtaxat sub ritu semiduplici recitari consueverat, ab omnibus deinceps, qui ad Horas canonicas tenentur, sub ritu duplici*

recitari posset, a Clemente X, ut supra a Benedicto XIV allegatum Congregationis rituum decretum fidem facit, anno 1674, supplicante Hispaniarum regina, concessum. Atque id hic, quod de ea Clementis concessione sacræ Congregationis rituum, quo declarata hæc fuit, decreto fuerit agendum, commemorandum duci, etsi interim Pontificio isti indulto præverint tria e miraculis, præsentis § recensendis, quæ, ut id daretur, partim fortassis effecerint.

55 *En adeo, cum de præfata Pontificia concessione actum jam satis sit, studiosè lector, nunc etiam illa, continuè serie, prout apud Surianum e schedis, supra jam sæpius laudatis, deprompta pag. 569 et seqq. exstant, recitata. Sic habent: V. P. Bernardus Gort Barcinonensis, professus cartusie Scalæ-Dei in Catalonia, olim Olisiponensis, et post Eborensis in Lusitania Prior, sequens miraculum refert. Illustrissimus et reverendissimus D. Theotonius a Bragantia, archiepiscopus Eborensis, amplissimus fundator cartusie Scalæ-Dei (aliis Scalæ-cæli) prope Eboram in Lusitania, obtinuit a reverendo patre Priore Cartusie Ordinis generali quandam portionem seu reliquam capitis S. P. N. Brunonis, quam in argenteo simulachro, effigiem ejusdem umbilico tenus referente, recondidit, quod simul cum multis emblematum, hieroglyphicorum, poematumque compositionibus eidem cartusie Eborensi donavit, ubi et reverenter hodieque asservatur. Anno mdcxxviii circa finem Januarii, cum præcessisset magnus lunæ defectus, dux Bragantiæ Theodosius II in maximam ac periculosam ægritudinem incidit; de cujus valetudine adeo timebant ejus familiares, ut solis medicis ingressum ad eum permitterent. Quod sciens V. P. Antonius Coëlle, tunc Eborensis cartusie Prior, cum D. Alvaro de Fonseca procuratore ejusdem ad oppidum Villæ-vitiosæ, ubi dux æger decumbebat, concessit, secum deferens prædictam reliquam S. Brunonis, duci adorandam exhibiturus, in memoriam eidem revocans, eam reliquam esse olim a R. P. Generali transmissam Domino Theotonico magno suo patruo. Qui statim se decentissime composuit, et dictus Prior cum maxima reverentia ostendit duci sacram reliquam, recitatisque cum socio quibusdam precibus cum oratione prædicti Sancti, eandem illi adorandam obtulit, presentibus duce Barcellensi ejus primogenito, nunc duce Bragantiæ, aliisque duobus filiis D. Edoardo et Alexandro, genibus flexis cereos accensos tenentibus. Cumque dux sacram reliquam adorasset, presentibus filiis dixit, se valde Deo fidere, sanitatem recepturum, quod in sua ægritudine ab eo Sancto meruerit visitari.*

56 *Recessit Prior cum socio e cubiculo, secum referens sacram reliquam, veritus, ne dux penes se eam retinere vellet, uti eum cupere noverat. Postea dux cœpit morbo levare, atque eadem nocte adeo convaluit, ut a medico febre carens sit repertus, et brevi est prorsus sanitati pristinae redditus. Anno mdcxxxii quidam monachus, cujus nomen consulto prætereo, quia adhuc superstes est, professus unius ex domibus provincie S. Patris Brunonis, cum hospitaretur in domo S. Stephani de Nemore, multo tempore graves mentis angustias passus, tandem ad id devenit, ut palam de Ordine deserendo tractaret, atque in Romana curia hoc per idoneum hominem procuraret. Cujus rei procurator generalis Ordinis certior ab ipso factus non modo*

AUCTORE
C. B.

Tria apud
Surianum,
quorum al-
tero gravissi-
mus morbus,

E

F

altero pericu-
losa tentatio;

non

AUCTORE
C. B.

non contradicebat, verum etiam annuebat illius ab Ordine egressui, ut ab illius importunitate se liberaret. Insuper oculorum ægritudinem contraxerat, ut vix de nocte lumen ad sacras preces recitandas sustinere posset. Demum S. P. Brunoni se commendans abluit oculos suos aqua ex lacu S. Brunonis sumpta, quæ scilicet ex fluvio decurrente prope nemus ecclesiæ S. Mariæ colligitur in alveum, muro septum a parte viæ, in forma orbiculari oblonga, in cujus medio crux lignea posita est, ex qua S. Bruno bibere et lavari solitus dicitur. Simul ac ex hac aqua oculos abluit, satim exterius interiusque illustratum se sensit, ac, deposito Ordinis descendendi consilio, in sancto proposito se confirmavit, atque de sua hac illuminatione V. P. Josephum Laudinum, Priorem cartusiarum Romanæ ac Ordinis in Romana curia procuratorem generalem, certiores fecit, per suas literas ex hac domo, mense Decembri mdcxxxi datas, quas et aliis familiaribus suis legit. Vivit adhuc et sospes est. Ex aqua autem hujus lacus multi devotionis causa bibunt, et ad domos suas asportant, quam etiam variis morbis profligandis efficacissimam experiuntur, qui cum aliquo sensu pietatis eam sumunt.

B
ac tertio gravissimus item morbus pulsus fuit, adscripta Sancto miracula.

55 Labente anno mdcxxxiii, illustrissimus dominus Henricus Loffredus Neapolitanus marchio Trivici et comes Potentiæ in Lucania urbis, ubi ex gravissimo morbo de vita periclitabatur. Quare, medicorum ope et opera abjecta, ad Sanctorum præsidia confugit, adeoque hortatu fratris Angeli Massei Neapolitani conversi, professori Cartusiarum S. Laurentii prope Padulam, tunc commorantis in grangia ejusdem Cartusiarum, sita intra civitatem Potentiam, se commendavit S. P. Brunoni pio cordis affectu, hausto etiam pulvere de specu ejusdem Sancti loco pharmaci, ab eodem converso sibi exhibitio, qui Dei beneficio per merita S. Brunonis brevi convaluit, nec non ope B. Ægidii Minoritæ, cujus corpus apud Laurentianum oppidum integrum asservatur, cui ab ejus matre commendatus fuerat. Ob id anno mdcxxxiv, ut Sanctis debitas grates obsequiumque persolveret, circa initium Julii ad prædictam Cartusiam Padulæ accessit S. P. Brunoni gratias redditurus. Quod clarius ex ejus epistola, V. P. Joanni Baptistæ Manducio Priori ac provinciæ visitatori directa, patebit. Admodum reverende Pater observandissime. Superioribus mensibus ob gravissimum morbum vitæ tale discrimen incurri, ut considerans, jam vanam medicorum operam esse, ad Deum Op. Max. atque ad cælestes sanctos confugerim, sed peculiari affectu ad S. Brunonem, atque ad B. Ægidium. Nunc ut multo, quod his Sanctis debeo, satisfacere queam debito, statui personaliter ad eos venerandos accedere, patrem S. Brunonem istuc ad S. Laurentium de Padula scilicet, et B. Ægidium Laurentianum. Quare Paternitatem V rogo, ut mihi gratiam concedas et facultatem F. Angelo, ut mecum veniat: nam ex parte cognoscens ab eo meam sospitatem tum illius precibus, tum hortatu, ut me S. P. Brunoni commendarem, a Paternitate vestra hanc consolationem exopto, ut prædictus frater, sicut auxilio mihi fuit ad sospitatem mihi impetrandam, ita etiam sit ad gratias reddendas. Tandem offerens me semper ad tui, ac tuæ Religionis obsequia promptum, tuis me orationibus commendatum cupio. Potentia, die xxvii Junii mdcxxxiv.

C

56 Talia sunt tria, quæ sacræ rituum Congregationis, a ritu semiduplici ad duplicem, annuente Clemente X, elevantis Sancti cultum, decreto prævivere, hinc recensenda duxi, ad S. Brunonis invocationem patrata miracula. Ac horum quidem secundum, etsi quod de virtute a prodigiosi fontis aquis (adi Comment. privii num. 747) ad lacus, cui a S. Brunone nomen est, aquas translata Zanottius in contexta a se Sancti Vita tradit, nequitiam confirmet, prodigiosam tamen lacus illius aquis e Sancti nostri meritis virtutem vere inesse, argumento quacumque est. Verum hanc plura luculentius commonstrant, quæ ipsemet Zanottius in laudata sua de S. Brunone Lucubratione cap. 54 narrat, miracula, aquarum illarum virtute præsentis sæculo ac proin post dictum, quod anno 1674 Congregatio Rituum dedit, decretum patrata. Lubet hæc, pluribus aliis, quæ tum apud Surianum adhuc, tum alibi exstant, e lingua Italica in Latinam versa lectori hic exhibere, idque, cum pro iis nullum seu scriptorem seu monumentum, contra ac alias facere solet, laudet Zanottius, e sola hujus, quem ea nihilominus e probato fonte hausisse reor, scriptoris fide. Hisce itaque ab illo Sancti nostri biographo verbis narratur:

Anno mdcxxv Oliva Spani Cantaciensis tali modo a maligno spiritu fuit obsessa, ut die quopiam abs illo violenter supra carbonum ardentium massam fuerit conjecta, unde vulnus insanabile contraxit. Maritus illius, quem graviter id affligebat, magna cum fide sanctum Patrem (Brunonem nempe) invocavit, cumque mulierem ad lacum S. Brunonis duxisset, ibique lavisset, continuo vidit illam hoste infernali liberatam, atque a vulnere curatam. Anno mdcxxix, die xxviii Maii Joannes Bernardus S. Petri Cosentianensis, cum a septem jam annis morbo detentus, multisque corporis sui partibus, ita ut miseranda visu res esset, contractus fuisset, a parentibus suis, qui in brachia eum acceperat, ad lacum S. Brunonis delatus, sese dumtaxat lavando sanitati integræ mansit restitutus.

57 Eodem anno Angela Rizzi Cantaciensis, a pluribus mensibus a dæmone inessa, sese ex ingressu in dictum lacum liberam sensit, idemque eodem die multis aliis energumenis obvenit. Anno mdcxxxi baro Leffelhol, copiarum cæsarearum in Calabria capitaneus, secta Lutheranus, parvum S. Brunonis lacum, quo curiositati suæ satisfaceret, visitavit, vidensque uno die viginti quatuor miracula, a variis energumenis per Sancti intercessionem obtenta, interne ad fidem Catholicam amplectendam motus est, et ideo vocationi divinæ obtemperans, dieque xxiv Junii Lutheranismum abjurans, fidei Catholicæ professionem, patre Columbano Theysen Coloniensi Minorita Conventuali, militiæ cæsareæ sacellano, et Augustino Maria Lucanensi, concionatore Capuccino, presentibus, Rhegii in Calabria in Capuccinorum ecclesia emisit, duoque supra dicti patres illum a censuris consueta sanctæ Ecclesiæ forma absolverunt. De hoc toto instrumentum authenticum, cui duo supra dicti Religiosi alique præterea subscriberent, totumque verum esse, jurarent, confici voluit idem capitaneus, postque ipsemet anno sequenti, cum gratias S. Brunoni sepulcrum ejus visendo acturus venisset, scripturam hujusmodi authenticam in S. Stephani Cartusia deposuit. Cum duobus posterioribus e tribus Pentecostes festis, quorum altero sacrum Sancti caput ad Turritanam S. Mariæ ecclesiam ex ecclesia S. Stephani

D

Secundum ex his aquarum lacus, a Sancto dicti, virtutem probat, hæcque alia,

E

que e Zanottio hic referuntur.

F

A S. Stephani transferri, altero ad hanc referri quotannis solet, ingens fuit populi, quemadmodum eo ipso Lucubrationis suae capite, quo jam recensita refert miracula, Zanottius testatur, ad Turritanam Cartusiam concursus, tuncque eo sanandi infirmi energumenique undequaque soleant adduci, viginti quatuor miracula, per quae, in totidem energumenis Sancti intercessione uno die patrata, copiarum caesarearum capitaneum ad fidem Catholicam conversum fuisse, scriptor is hic refert, alterutro e dictis Pentecostes festis fortassis evenere; quod si autem re etiam vera ita res habuerit, fuisse e viginti quatuor energumenis uno eodemque die daemone ejectum, magis erit, quam alioquin foret, credibile.

luculentius ostendunt. Iis factum Nuninghamio, quod ipsis hujus verbis

58 Ut ut sit, alihibitus equidem lacus, a S. Brunone dicti, aquis non pauca miracula, quae prodigne, ut jam monui, prodigiosam harum virtutem luculentius, quam unum num. 54 relatum, commonstrant, in energumenis potissimum patrata fuisse, credendum apparet. Nec, quae supra e Suriano alisque atuli, dubitare sinunt, quin plura etiam ad solam Sancti invocationem fuerint patrata miracula, idque praecipue in Turritano, cui modo et a S. Brunone nomen est, S. Stephani Cartusia. Labet nunc ibidem patratas jamque narratis unum praeterea, quod alibi gestum est, seu miraculum, seu beneficium coronidis quodammodo loco adungere. Morkensius in Ms. sua, quam in Commentario praevio saepissime laudavi, de S. Brunone Diatriba Chronologico-diplomatica in fine sic habet: Ut tandem disquisitionem hanc finiam, mirum istud, quod recentem in occasione hujus qualiscunque scriptiois contigisse paulo ante memoravi, huc subjungo ex epistola viri clarissimi Domini Judoci Hermanni Nuninghamii J. U. doctoris, proto-notarii Apostolici ac perillustri ecclesiae collegatae Vredensis scholastici etc. Huic transmiseram hanc meam de S. P. N. Brunone Diatribam, eatenus ut eam legeret, atque dijudicaret, mihique pro amore nostro, et amicitia rescriberet, quid de ea sentiret: satisfecit affatim; ante tamen quam sententiam suam diceret, praefatur: « Verum antequam me tuis accingam,

» praemitto casum, mihi sane, ex aliis permirum, ac prodigio, ut candide loquar, plenum. » Jam manus meas subierat Diatriba tua de Vita S. Brunonis Ms., quando residuus in venis ex febribus calor inopinatum mihi excitatum stillicidium, a vespera per plurimam noctem sat funesto spectaculo protractum, cui evocati ex vicino oppido chirurgi congruam mature operam contulere, quod et medicus meus haemorrhagiam sanitatis criticam bono omine interpretatus est. »

hic refertur, seu beneficium, seu miraculum adjungitur, haecque de Sancto

C 59 « Interea evolvendis tuis scriptis cum sedulus dstringor, intra octiduum me ex improvisio alterum aggreditur, priori longe periculosius. Hora vesperae circiter octava erat, qua infirmum corpus requie donandum compono, vix caput reclino, en copiosissimus eadem, qua nuper, venula sanguis prorumpit, inter modicas horas exanimandum praesagiens. Gemini per ora et nares rivuli tanto impetu eaque cruribus jactura continuo discurrunt, ut affligerent, atque in lachrymas cogereant cir-

» cumstantes. Ego pacato animo ferre malum, » ceu e caelo immissum. Interea nihilo remissior profusio in horam tertiam noctis excurrit, » accersuntur denno chirurgi Borekenses; qui » tamen ob clausas portas aliaque militaris praesidii impedimenta, tum noctis opacum, se- » gnus accedunt. His moram aucto periculo » trahentibus, humana ope destitutus ad celestem recurro, voto ad divum Brunonem patriarcham facto, cujus gloriae tunc tui causa » utcumque inserviebam, praesenti mortis periculo eriperet, si pios conatus prosequi caelum » decrevisset: vix absolveram vota verbis et » animo; ecce, nihil obstante sanguinis profluxu, » caput supinum pulvinari dimissum, ac suavi » mox somno consopitum lethali stillicidio finem » facit, germano fratre ceterisque circumstantibus rem miram obstupescentibus. Adequitantes chirurgi demum circa quartam matutinam » miraculose didicere exemplo, quantum Superperum auxilia humanis omnibus sint praestantiora. Ignosce profuso calamo opera Dei indispensabiliter manifestanti. »

40 Miraculi hujus seu potius beneficii; Nuninghamio ad S. Brunonis invocationem collati, relationi adjecta brevi clausula, tractatum, quo res, ad Sanctum spectantes, fuse seduloque discussit, Morkensius absolvit. Verum, antequam et ego inceptum de iis, quae de gloria Sancti posthumam dicenda supererant, sermonem hic concludam, luculentum adhuc, ut fidem Commentarii praevii initio datum liberem, eximie prorsus, qua Sanctus in patrio solo, imo in ipsa, in qua natus esse existimatur, domo Coloniae Agrippinae afficitur, venerationis argumentum commemorandum est. Augustinus Aldenbrück, Societatis nostrae sacerdos, in epistola, quam post inspectam domum illam, quae (ad Commentarium praevium § 2) ad Rubeam Stessam appellatur, anno 1767, die 27 Julii ad nos dedit, aliis nonnullis, ad S. Brunonem pertinentibus, quae memorat, sequentia haec addit: Vidi etiam in antiqua domo (ad Rubeam Stessam, prout etiam nuncupatur) cubiculum, quod incolae a S. Brunone, dum Coloniae adhuc degeret, inhabitatum dicebant, tanta semper reverentia cultum, ut nulli nocturna quies in eo concederetur. In eodem cubiculo monstrata mihi fuit sponda lecti, qua ad quietem usus sit, vetustissima illa quidem e ligno querno, sed, quod miratus fui, nullo teredinum morsu in hunc diem appetita, nedum vitata. Quam, quod per domesticos, famulos aliosque, qui spectatum admittebantur, nimis frustis identidem avulsis mulcetur, nuper opereculo incluserunt moderni edium domini et inquilini. Fueritne vero S. Bruno, cum Coloniae Agrippinae adhuc versaretur, et cubiculo et sponda lecti, hic memoratis, usus, non inquiri; verum, ut ut il habeat, cura equidem singularis, qua sponda illa, a Sancto, ut putatur, ad quietem adhibita, custoditur, studiumque, quo nonnulli frustra ex ea sibi acquirendi correpti fuerunt, eximie prorsus, qua erga Sanctum Coloniae non pauci feruntur, venerationis argumento sunt minime dubio, hincque non prius, quam il etiam adduxissem, huic ad gloriam Sancti posthumam Appendicem imponere est visum.

AUCTORE C. B.

E

Appendix luculento venerationis, qua Coloniae gaudet, argumento concluditur.

F

DE